



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Unius Necessarii pars ...**

Ubi agitur De Cognitione Dei - Quanti nimirum momenti illa fit, & quibus  
praesidiis obtineri ab unoqueque hominum possit

**Rogacci, Benedetto**

**Pragae, 1721**


Caput XXVI. Alia objectio refellitur, ex aeternitate infernorum cruciatum  
desumpta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54487](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54487)

tet, perinde quasi non assidue de illis cogita-  
 ret; vel ad easdem propulsandas eum stimu-  
 let, tanquam si parum efficax ipsi ad id stimu-  
 lus suamet naturalis bonitas foret: sed causam  
 hujus moris, & instituti sui esse, quia videt  
 ipsammet orationem, qua aliquid ab eo peti-  
 mus, genus boni esse à munere petito distin-  
 ctum, & sæpe quidem eo majus. Repetamus  
 hæc, inquam, memoriâ: ea siquidem rite con-  
 siderantibus nunquam porrò veniet in men-  
 tem, seu duram vocare, quam cælestis Pater  
 nobis imposuit, ad eum in quovis nostro di-  
 scrimine confugiendi necessitatem, seu libe-  
 raliorem eum futurum arbitrari, si absque hu-  
 jusmodi conditione suis nos ultroneè, & à  
 nemine provocatus, beneficiis ditaret.

## CAPUT XXVI.

Alia refellitur objectio, ex æ-  
 ternitate infernorum cruciatu-  
 um desumpta.


 Uperest ad extremum divinam bo-  
 nitatē tueri adversus tacitas non-  
 nullorum querelas, quibus ni-  
 mia severitas, summæque illi,  
 quam in DEO prædicavimus, clementiæ haud  
 fa-

fatis consentanea videtur, æterna sub orcu decrevisse impiis supplicia: nec unquam, etiam post millena, & iterum, iterumque millena annorum millia ullo miserationis sensu tangi de intolerandis eorum cruciatibus, qui vel caucasi rupes, nedum immanissima quævis peccata possent ad pietatem inflectere. Prius tamen, quàm directè, & collato quasi pede cum hoc adversario congregiar, statuo hic pro certissimo, neutiquam duo hæc sibi invicem repugnare: nimirum ut iudex reum aliquem & maximopere amet, & nihilominus pro culpæ suæ merito puniat. Cùm non desint eorum exempla, qui capitali supplicio conjunctissimos sibi sanguine affecerunt, eò quòd, licèt eos plurimùm, plus iis tamen æquitatem diligerent. Qualis inter cæteros fuit ille Junius Brutus, Romanæ libertatis fundator, ejusdemque tam sollicitus custos, ut filios suos, Tarquinii dominationem reducentes, pro tribunali virgis caesos, & ad palum religatos, securi percuti jussit: (Val. Max. L. 5. c. 8.) sacrificans hunc in modum Reipublicæ amoris privatae domus suæ fulcimenta, posteritatis spei, affectusque à natura humano cordi maximè infitos. Hoc itaque extra controversiam posito, si palàm ostendero, æternos infe-

rorum cruciatus esse pœnam æquissimo jure humanis criminibus debitam, an non inde constabit, posse DEUM, quamvis paterno amore peccantes complectatur, tali eos supplicio damnare? Constabit haud dubiè: nec aliud propterea ad hujus consequentis perspicuitatem requiritur, nisi ut prior propositio, quæ illius quasi fundamentum, & radix est, demonstretur. Undenam ergo idoneum ei demonstrandæ argumentum ducemus? Ducitur communiter à Theologis ex infinita Dei bonitate; quæ cum capitali quovis crimine offensâ sit, sequitur, quòd hoc malitiâ contineat infinitâ haud minorem, dignamque idcirco, cui supplicium irrogetur, si minus secundum gravitatem, at secundum temporis longitudinem infinitum.

2. Et certè, si summa DEI magnitudo, & amabilitas intimè à nobis perspicì possent, satis superque id foret, ut evidentissimè cognosceremus, cuilibet tantum Dominum offendenti justè deberi, imò & impar suis meritis esse quodvis etiam æternum supplicium. Sed, quia incomprehensibilem supremi illius entis præstantiam, non nisi obscurissimè attingimus, difficillimùmque nostræ imaginationi est, eam in illius offensis infinitam improbitatem

tem

tem concipere, cui vindicandæ nulla æternitate brevior pœna par sit; aliam ineundam probationis viam mihi duxi, rudi vulgo magis accommodam, quaque præeuntem etiam imbecillimæ, & tardissimæ quæque mentes haud ægre confectari me valeant. Libet itaque ratiocinari hunc in modum: Si peccata non mererentur æternum puniri, injustè procul dubio DEUS ageret, dum æternis ea punit suppliciis. Atqui vel ipso naturali lumine manifestissimum est, injustitiam non posse ullo pacto in DEUM cadere, ergo manifestum quoque est, dum peccata æternis à DEO puniuntur suppliciis, nequaquam justo illa gravius, sed pro merito suæ malitiæ puniri. Argumento ad omnimodam evidentiam nil deest: sed evidentius adhuc fiet, si attendamus, quam nulla DEO possit causa suppetere, cur in hominum vindicandis criminibus justæ severitatis modum excedat. Unde enim contingit, ut mortalis quispiam iudex sæviores interdum, quam par est, reis pœnas decernat? Non aliunde profectò, nisi, quia vel immanem, & ferinam sortitus à natura indolem est, vel effervescentis iracundiæ impetu ultra recti fines abripiatur, vel emolumenti indè aliquid speret, vel decipiatur, gravius sibi fingens, quam

re-

revera sit, crimen, parémque ipsi pœnam, quæ alioqui ultra ipsius meritum est. Quænam igitur ex hujusmodi causis impellere supremum Judicem potest, ut atrociores, quàm æquitas, ratióque exigit, nostris facinoribus pœnas infligat? Num mentis deceptio? At quis citra contradictionem hanc in eo imaginari queat, qui ipsamet veritas, & prima sinceri omnis judicii regula est? Num propriè alicujus emolumentum cupiditas? At neque illa per se ipsam beatissima, & infinitè dives natura ulterioris quidquam boni acquirendum habet; & quamvis percipiendæ alicujus utilitatis capax foret, ecquam tandem perciperet ex nimia in nobis cruciandis sævitia? Num iracundiæ, furorisque impotentia? At hujusmodi tempestates in animis nostris, velut in ima, terrenaque aëris regione, debacchari solitæ, nullam vim habent aspirandi ad excelsum naturæ illius, semper sibi similis, & omnino immutabilis cælum. Num ingenium atrox, tyrannicum, nec alia re magis, quàm sanguine, & cædibus gaudens? At, si tali ingenio DEUS esset, non eum audiremus, cum irrogaturus est fontibus pœnas, quasi lamentantem dicere, (Es. c. I.) *Heu, vindicabor de hostibus meis*: neque id ministerium esset opus

G g g

ali-

*alienum, & peregrinum ab eo*, quale ab Isaia appellatur: (c. 28.) & quale esse liquido aspiciet, quisquis rationem observet, qua ab ipso exercetur. Quemadmodum enim non nisi invitus, coactusque ab hominum culpis illud suscipit, sic plerumque ad longissimum tempus differt eo fungi: sollicitè expectans, si fors impii per poenitentiam ab ingrata eos puniendi necessitate se eximant, assidueque illos interim stimulans, ut resipiscant, & læsam placare ultro curent justitiam. Quod si ab iisdem tandem obtineat, videtur quodammodo allevari, & respirare, & quasi pro magno munere accepto iis debitor fieri. Ex quibus signis omnibus fas cuique est manifestò colligere, quantum absit à criminibus immodico rigore plectendis, qui ægre adeò ad justam summendam de iis ultionem descendit, & cum iratus fuerit, misericordiae recordatur: (Habac. c. 3.) nunquam se jungens à justitia puniente, clementiam, ad quam ipsomet naturæ suæ pondere impellitur. Si ergo nihil excogitari potest, quod causam DEO præbeat, animadvertendi justò acrius in hominum noxas; imò naturalis ejus benignitas ad debitæ animadversionis rigorem magna potius ex parte leniendum, quàm vel minimo momento ag-

gra-

gravandum propendet; concludamus necesse est, nihil illum, dum peccata sempiternis cruciatibus plectit, in peccantes statuere, quod non æquissimo jure iis debeatur, quodque ideò juxta positum suprà à nobis principium, cum paterna erga nos charitate nequeat conjungi. Neque verò mihi quisquam reponat, nostrum illud principium legitimam quidem vim habere, quoties de præsentis sæculi pœnis sermo est: non verò ubi de infernorum cruciatuum æternitate agitur: pœna nimirum ultra communem cæterarum omnium modum tam atroci, & horrenda, ut, quamvis justè decreta, nullo modo componi posse videatur cum judicis benevolentia erga reum, cui decernitur. Vana est, ac finè ullius rationis fundamento hæc exceptio. Quantumcunque enim gravis sit æternorum averni ignium pœna; nihilo certè levior est offensi Numinis culpa: quaque congruentia, & proportione minoribus delictis, minora alia supplicia, hac etiam summum omnium supplicium summo omnium delicto respondet. Quapropter veluti rectus quivis judex, licèt reum magnopere amet, potest nihilominus levia ejus delicta leviter, & graviter gravia punire; sic, ubi extremæ is malitiæ facinus perpetraverit, potest



test ei, quamvis cæteroqui amicissimo extrema atrocitatis pœnam infligere.

3. En itaque ratio, qua possit DEUS & paterna charitate homines prosequi, & tamen, ubi sua improbitate id commeriti fuerint, sempiternis eos suppliciis damnare: ratio & cuilibet eam examinanti intellectu facilis, & intelligenti satisfacere valens. Imò, si rem libeat paulò attentius perpendere, animadvertemus, minori curæ nostram DEO utilitatem futuram fuisse, si nostris criminibus brevis æterno statuisset supplicium: nec hujusmodi severitatem repugnare illius erga nos benevolentia, ut ab hac potiùs, tanquam à principio, & fonte suo derivetur. Fac enim peccantibus nulla esset proposita, nisi certi temporis pœna; quotusquisque non videt, quàm paucos illius terror cohiberet à vitiis: cum quàm plurimos non satis absterreat vel æterni comminationis supplicii? Næ humana tunc improbitas non validius non peccandi haberet frœnum, quàm nunc habeat in temporario purgantium flammaram ergastulo: cujus formido vix ulli satis esse cernitur, nè à pravis naturæ cupiditatibus, & bonorum sensibilibus illecebris transversum se abripi sinat: sempiternis proinde tartari cruciatibus è medio sublatis, sequere.

queretur, orbem terrarum sceleribus, vitiis-  
 que totum compleri, cælum verò animabus  
 piis penè vacuum relinqui. Opportunissima  
 igitur, imò & communiter necessaria huma-  
 no generi fuit, ad æternæ consecutionem bea-  
 titudinis, æternæ comminatio miseræ, ut ad  
 summum bonum quærendum summi saltèm  
 mali timor nostrã extimularet ignaviam: jux-  
 ta providum, & salubre illud munus, quod  
 Evangelicus Paterfamilias uni servorum in-  
 junxit, non invitare solummodo, sed & co-  
 gere ad convivium suum jubens, quoscunque  
 obvios haberet. *Exi in vias, & sepes, & com-  
 pelle intrare, ut impleatur domus mea. (Luc. 14.)*  
 Potuitque ideo DEUS, ceu pluries observat  
 Joannes Chrysostomus, ex majoris nostri bo-  
 ni amore, atque studio, hanc nobis necessita-  
 tem imponere, ut, nisi piè & castè vivendo  
 æterna promereremur cælestis regni sui gau-  
 dia, æternam nobis sciremus apud inferos sub-  
 eundam esse miseriam. (*Hom. 23. in Genes. &  
 Hom. 16. in Ep. 1. ad Tim.*) Ipsam etiam gehem-  
 nam propterea condidit, ut metus pœnæ, intole-  
 rabilisque cruciatûs ad regnum nos cogat. Non  
 ergo minùs, quod semper dico, DEI providentiam  
 commendat gehenna, quàm promissio regni. Quip-  
 pe huic illa cooperatur, dum metu ad id compellit

homines. Nec est sanè, cur eam rem immanitatis, atque atrocitatis esse putemus, sed misericordiæ potiùs, & singularis in nos benevolentiae signum. Idque luculentius adhuc perspici potest, si efficacissima cogitentur adjumenta, & præsidia, ad funestam illam æternitatem vitandam ab eo nobis relicta: quæ certè adeò facilem cuivis ea rite usurpanti reddunt sempiternæ acquisitionem salutis, ut incredibile quodam modo videatur, vel unum ex Christianis hominibus fore, qui æternùm pereat: quemadmodum è contrario nequit sinè extrema admiratione spectari prodigiosa amentia, & stoliditas, qua eorum tam multi absque ulla vel sui, vel DEI cura belluarum instar, omni usu rationis carentium, clausis oculis, alii alios urgentes, ad æternæ damnationis barathrum ruunt: Deoque invito, & nihil non agente, ut eos incolumes fervet, omnibus sibi viis extremam perniciem accersunt: veteri Hebræorum populo similes, de quo in libris Paralipomenon legitur. (L. 2. c. 36.) *Mittebat Dominus DEUS ad illos de nocte consurgens, & quotidie commonens, eò quòd parceret populo. At illi subsannabant nuntios DEI, & parvi pendebant sermones ejus, illudebantque Prophetis: donec ascenderet furor Domini in populum ejus, & esset nulla curatio.*

4. At si mirum, & paternæ DEI bonitati dissentaneum non est, quòd deplorata, & inexpiabilis malitiæ capita perpetuis inferorum suppliciis damnet; illud saltèm percipi nequit, quonam pacto, cum impensè adeò etiam reos homines diligat, nulla unquam inexhausti eorum cruciatùs satietate, & misericordia afficiatur. Ità sanè nonnulli secum differere, & mirari pergunt. Quorum sanandæ inquietudini nihil ultrà opus mihi erit, nisi ut tres, unde illa oritur, præposterarum imaginationes ex eorum mentibus deleam. Prima est, quòd DEUM sibi repræsentant perturbationibus humanis obnoxium, dùmque fontes condemnat, violentis iracundiæ, & ultionis affectibus æstuantem. Cùm enim id genus affectus in nullo Polyphemo, aut Mezentio ità pertinaces sint, ut post nullos, ut ut acerbos, & diutinos exosi capitis laniatus deficiant; insolens iis præter modum videtur, quòd in Deo tam clementi cæteroquin ultore, nullis suorum hostium cruciatibus expleri queant, sed per totam, quanta est, æternitatem vivaces, & implacabiles durent. Curandum igitur nobis est, ut secundùm contraria, & certissima tum fidei divinæ, tum rationis humanæ principia, statuamus apud animos nostros supremum

num illum Judicem, quantiscunque injuriis affectus fuerit, nunquam tamen ab impetu, & fervore iracundiæ, sed à puro, & tranquillo recti amore ad eas vindicandas impelli: nec supplicii iis præscripti acerbiter exactis cognoscere, cum illud à fontibus jam subitur, quàm cum à se primò decernitur. Adeò ut in pronuntianda adversùs aliquem æternæ mortis sententia statim mente comprehendat, quàm gravis damnato ea pœna futura sit, non primo duntaxat die, vel anno, quo eam tolerabit; sed reliquis porrò universis, quibus tolerare illam perget: nec non singillatim, & summa cum distinctione tunc prævideat innumeram omnem contorsionum, ejulatum, & gemituum seriem, quibus per totam deinceps æternitatem suum damnatus dolorem, furorémque cogetur depromere: sed, quamvis hæc omnia tunc præ oculis, inque numerato habeat, judicans nihilominus pœnam illam, quantæcunque atrocitatis, & longitudinis sit, reo justè ob sua maleficia deberi; eam ipsi ex nullo alio, quàm puræ æquitatis instinctu velit, & sanciat. Unde fit, nullâ post quantoscunque sæculorum cursus illi superveniente seu clariori notitiâ, circa infelicem hominis statum, quem semel damnavit, seu nova rati-

one

one voluntatis, qua eum damnavit, mutandæ, nullo unquam tempore hanc revocet: sed veluti olim æquitate, & justitia impellente æternis illum orci flammis addictum voluit; sic semper eâdem illâ causâ pristinam vim suam retinente, pergit ille idem semper velle, quod voluit. Paucis: affectus temporaria res est, ratio perpetua. Ille surgit, & cadit, oritur, & deficit: hæc mutationum, & vicissitudinum nescia, qualis semel fuit, talis est semper. Ac proinde, qui illius auspiciis regitur, jam hoc, jam illud vult: qui hanc sibi pro volendi regula assumpsit, eandem habet semper, ut eandem semper illa est, voluntatem. *Justitia tua justitia in æternum.* (Ps. 118.)

5. Secunda fallacium, quas dixi imaginationum est, eundem in DE O habitudinis, & proportionis respectum ad animas orco damnatas concipere, qui ad easdem nobis inest mortalibus. Adeo ut non aliter inhumanitatis vitio vertendum ei sit, quàm verteretur nobis, nullo piæ miserationis sensu affici de sempiterna earum miseria. Præpostera, inquam, & saniori corrigenda iudicio isthæc quoque est animi species. Nempe homo, si a gratiæ sanctificantis statu, per quem divini ordinis, generisque erat, in lethalis culpæ statu

tum devolvatur; longè vilior apud DEUM evadit, omnique illius curâ indignior, quàm respectu nostri sit musca, vel quodvis aliud abjectissimum animal. Quocirca ceu nos, si videre fors contingat viperam lethalter sauciam, vel muscam ab hoste araneo comprehensam, & frustrâ evadere laborantem; adeò nihil indè mœroris capimus, ut potius ea specie oculos, animùmque oblectemus, præsertim, si à musca inquietati, aut à vipera lethifero morfu appetiti aliquando fuerimus; neque ideo inhumanitatis, & sævitix à quòquam culpamur, eò quòd illæ brutæ animantes sint, nullòque haberi loco ab hominibus dignæ; sic & multò potiori de causa, ubi homo divinæ gratiæ decus amiserit; nihil jam dignitatis, & meriti retinet, ut DEUS ullius illius mali curâ tangatur, aut aliter exinde illum spectet, ac veluti quodpiam, non vile duntaxat, sed & noxium, ac detestabile animal. *Homo, cum in honore esset, non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. (Ps. 48.)*

6. Quòd si aliquis fors subjiciat, mereri quidem impios sub orco, nè DEUM sempiterni eorum cruciatûs misereat: satisque ideo constare, quonam pacto hic extremæ illorum miserix neglectus à crudelitatis culpa absit, sed non

non etiam fatis apparere, quo pacto idem componi possit cum ardentissimo illo amore, quo DEUS homines communiter prosequi fertur. Si quis, dico, ita instet, respondebo illi, hoc ipsum, quod minus id se assequi subicit, ex alio proficisci imaginationis errore, concipientis scilicet, pro divini amoris objecto, quidquid universè hominum est, finè ulla distinctione inter justos, atque impios, interque impios, alios in terris etiamnum pœnitentiæ capaces, & alios sub orco ab omni melioris frugis, & sanitatis spe æternùm proscriptos. Quæ distinctio hæc tam est necessaria, quàm multum inter se differunt tres, quos modo retuli status, status nimirum gratiæ divinæ, status culpæ in terris, & status culpæ apud inferos. In primo enim quemadmodum homo *divinæ consors naturæ est*; ita jus habet, ut paterna charitate à DEO foveatur, & amici loco apud eum sit: at in posterioribus, quemadmodum à supernaturali illa, qua ad DEUM accedebat, gratiæ dignitate excidit, longèque ideo inferiori loco apud eum est, quàm vilissimæ quæque apud nos pecudes sint, ita nihil ultra meriti habet, cur DEO curæ sit, nec potest ab illo, nisi per eximium quoddam benignitatis prodigium amari, & foveri. Et hæc



hæc sanè benignitatis prodigia non desinit clementissimus ille Pater scelerato cuius homini exhibere, quoad ille vitam in terris producit, providentissimis mille modis curans, ex præsentis illum brutæ pecudis conditione in filii, & amici sui statum reponere. At si ille sinè ullo vel divinæ bonitatis, vel suæ salutis respectu, in præsentis culpæ admissæ reatu prorogare vitam pergat, & demum mortem quoque obeat; tunc enim verò ratus satis se summæ benignitati fecisse, hujus locò exercendum erga fontem jam sumit eum rigorem justitiæ, quo per incredibilem, prodigiosissimamque clementiam uti tamdiu supersedit: neque ideo aliter cum eo in posterum agit, quàm cum abjectissima pecude, qualis re ipsa est, suamque per contumaciam, & obstinationem perpetuò esse voluit. Nemo itaque mihi objiciat, si **DEUS** effusè adeò impios amavit, dum viverent; quî potest sinè ullo pietatis sensu eosdem nunc intueri, in æternam prolapsos miseriam? Respondebo illi siquidem: quòd eos olim ità amaverit, gratuitæ prodigium clementiæ fuisse, aliudque illi simile, imò & admirabilius prodigium fore, si etiam nunc ità amare illos pergeret. Sed tamen necessarium non esse, nectanquam pro legitimo jure, atque debito

pos-

posse ulli expectandum videri, ut, qui longo tempore multa, & rara perpetravit miracula, quovis tempore & loco ea pergat continenter patrare. Quemadmodum igitur, si per impossibile meam ego vermi cuiquam impertirer naturam, ex bruto illum animali transmutans in verum hominem, isque paulò post, nescio qua vecordi libidine actus ex nova meliori natura, qua donatus à me fuerat, in pristinum ultro vermis esse transfret; nequiquam certè ego obligarer, eò quòd aliquamdiu homo fuisset, etiam postea cum eo, tanquam cum homine agere, plùsque illi, quàm cuilibet alteri honoris deferre: &, quando pergerem, nihilominus pristina eum humanitate complecti, curam ubique illius gerens, omnique studio laborans ei persuadere, ut homo fieri iterum vellet; quidnam hoc aliud, nisi mirum & insolens gratuiti amoris specimen foret? quamobrem, si obfirmatum denique aspiciens in nativa conditione sua retinenda, ommitterem jam exinde aliis eum modis, quàm qui vermiculum deceant, tractare, nemo sanè admiraretur potius meam erga illum benevolentiam ad extremum desuisse, quàm tamdiu perdurasse: &, pro eo ut vel unus diceret, cur hic vermem illum instar hominis amplius non diligit?

git? omnium potius vox esset: quomodo hucusque ita illum potuit diligere? Non dissimili ratione, cum homo per peccatum gratiam sanctificantem projecit, cujus munere in naturæ divinæ consortium adscitus fuerat, remansit absque illa multò apud Conditorum suum contemnendus magis, & amari ab eo indignior, quàm ulla brutarum animantium habeatur. Quid ergo, nisi admirandum, & singulare benignitatis exemplum censerè potest, quòd summus ille Dominus pergat nihilominus caput tam indignum paterna charitate, & providentiâ complecti, nunquam omittens, quoad homo in terris vitam exigit, prompta ope illi adesse, sempiternam illius salutem omnibus modis assertum ire, brutisque, ac terrenis libidinibus indulgentem, ad suam rursus gratiam, & naturam vocare? Aut quisnam esse potest admirationi locus, si, postquam hic contumaci usque ad mortem fastidio oblatum sibi munus rejecit, imò etiam in malefactis suis obiens illius se perpetuò incapacem reddidit; ipse in posterum pro vilitatis suæ merito eum tractet, pristinamque erga illum benevolentiam ex animo tandem ejiciat, quam eatenus erga immerentem retinuisse, inauditæ bonitatis prodigium fuerat? Nemi-

ni

ni potest mirum videri, si assiduè id non eveniat, quod vel semel evenisse pro miraculo est. Quæris, quomodo nullo commiserationis affectu tangatur DEUS erga addictas æternæ morti animas, quas paternè olim dilexerat? Dic, age, tu prius, quonam earum merito diligere eas unquam potuerit? Quid miramur, quòd impiis sub tartaro misericordiam deneget? mirandum est potiùs, quòd vel in terris misericordiâ dignatus eos fuerit.

7. Addo corollarii locò, quamvis fontes apud inferos animæ nihil pietatis apud DEUM mereantur; illum tamen, ceu qui ipsa met pura, & summa bonitas, ac purus & summus amor est, nunquam desistere, quin paternam erga eas pietatem, ac benevolentiam retineat, quantam deploratissimus potest sempiternæ earum miseræ status admittere. Cujus declarandæ rei causâ animadverto, duplicem modum esse, quo alienis compati possumus malis: alterum, conando illa è medio amoliri: ut, cum mater lapsò, & ploranti filio auxilio venit: alterum, ægre ferendo, quòd illa adsint: ut, cum judex nollet facinus à familiari suo esse admissum, cujus gratiâ condemnare illum debeat, quem tamen, nè suo muneri desit, quamvis invitus, condemnat.

Et

Et primò quidem fieri minimè potest, ut eorum DEUS misereatur, qui æternas scelerum pœnas apud inferos luunt: nam alioqui vel nunquam perpetuæ mortis sententiam deberet in eos ferre, quod communis providentiæ, & justitiæ illius leges non ferunt: vel semel latam post aliquod temporis spatium abrogare, quod necessariæ illius decretorum immutabilitati repugnat. At verò, quod ad posteriorem modum spectat, ajo, DEUM paterno erga fontes illas animas misericordiæ sensu affici, tum quando extremam in eas fert sententiam, tum in quolibet alio consequentis porò temporis puncto: volendo quidem, sempiternis eas tartari flammis pro suorum facinorum merito discrucari, sed ità ut simul nollet, talem ab iis pœnam fuisse commertam, exolamque ideo sibi necessitatem impostam, eas potius ad perpetua detrudendi inferorum supplicia, quàm ad æterna cælestis regni sui gaudia evocandi. Hæ igitur duæ veritates ad præsentis materiæ conclusionem certæ, & fixæ manent. Prior, animabus sinè ulla criminum expiatione ad æternitatem transgressis nullam ibi à DEO misericordiam deberi, cùm eam semper repudiaverint, & aspernatæ sint, quæ mortalis ævi tempore tam

be-

benignè sibi oblata ab eo fuerat. Altera, tantam nihilominus supremi illius Judicis bonitatem esse, ut pergat etiam ibi paterno eas obtutu respicere, totoque pietatis affectu complecti, cujus esse adhuc possunt in miserrimo, sed justissimo æternæ desperationis suæ statu capaces: utpote qui *diligit omnia, quæ sunt, & nihil odit eorum, quæ fecit.* (Sap. II.)

## CAPUT XXVII.

Ad planiorem divinæ pulchritudinis intelligentiam, præmittuntur generales quædam de natura pulchri notiones: ultraque pulchritudinem sensibus notam, aliam quoque reperiri merè spiritualem, statuitur.

**D**Uæ mihi causæ suaserunt, ut inter perfectiones divinas ultimo loco de pulchritudine agerem. Altera, quòd hæc veluti quoddam totum est, ex omnibus reliquis, ceu ex totidem suis partibus coagmentatum: unde nec plenè intelligi sinè prævia illarum explicatio poterat; & illis subjuncta eas rursus omnes exhibitura erat sub una generali appellatione,

H h h

at-